

dicos maxime chimicos, parare et dare medicinam e pulveribus iis, qui aliquo excessu afflexerunt valetudinem, ut iterum convalescant, eductis malis humoribus. Nihil aliud agit Ecclesia. Affligerunt multi per hos liberalium liberiores dies animæ valetudinem, quid mirum si illis Ecclesia salutarem præbeat pulverem, quo rursus convalescant? Quare non omnino vane Turcicus ille legatus in Gallia sibi persuasit Christianos postquam triduo insanierunt, accepto isto pulvere rursus ad sanam mentem redire. Hoc ipsum enim est, quod Ecclesia intendit, nimirum isto pulvere ad sanitatem mentis reducere suos filios. At vere qua ratione hoc præstet pulvis sacer, videamus.

I. Pulvis iste valet contra mortem acerbam; quia meditatio mortis frequens hominem disponit, ut quotidie mori possit, nec horreat larvam illam, quam toties præ oculis habuit. Eques quidam Rhodius (auct. Hieron. Posio) cum insulam ingens draco affigeret, hac arte eum confecit. Molossos duos equo insidens in fictum draconem, vivo similem, crebro exercitio incitavit et assuefecit, ut eum animose aggredierentur ac dilaniarent; sicque assuefactos in vivum draconem eduxit, eumque feliciter superavit atque extinxit. Canes nostri potentiae et passionis animæ nostræ sunt, eas crebro exercere in mortis simulacro præ oculis nostris posito, si voluerimus, adventantem non metuemus, sed cordate et confidenter amplectemur: sic mortem conficiemus. Ita egit B. Godefridus ex comite Capenbergensi monachus Præmon. qui: «Frequenter sociis in itinere quolibet residendo pausantibus, ipse quemadmodum in exequiis mortuorum membra componi solent, manus et brachia sua composuit supinus, dicens clamore intimo gemituque vehementissimo: O si veniat hora illa nostri transitus! O si ad hanc horam optare et præparare me digneris Domine Deus meus!» Sic effecit ut venientem mortem magna confidentia intrepidus imo vehementer exultans exciperet, consolans ipse fratrem suum germanum, moerentem iis verbis: «Ideo, mi frater, universa propter Deum abdicavimus quia nos ad hujus horæ necessitatem perventuros, h. e. morituros certissime noveramus præoptantes atque satagentes, ne hujus nos procella discriminis obruat imparatos. Amplectamur ergo hanc a corpore peregrinationem, faciamus de necessitate virtutem, gaudentes et gratias agentes, quod de labore ad requiem, de miseria ad beatitudinem transmigramus.» Apud Sur. 43. jan.

II. Valet contra malam mortem. Male enim plerumque moritur, qui prius mortem non præ-

vidit; siquidem ad eam se minime disposuit. Philisthæos imitatur dæmon. Illi caverunt ne ullus faber superesset in terra Israel, ne possent arma habere, quibus pugnarent contra se; unde postea inermes adorti sunt, I. Reg. XIII. ita molitur dæmon, ut omnis de morte cogitatio ab hominibus longissime removeatur, ne memoria illa mortis arma illis fabricet, quibus ipse fugatur. Sic certe lusit cum primis nostris parentibus. Cum enim illis Deus mortem ob oculos posuisset, ut esset illorum custos et pædagogus, eisque velut faber arma contra peccatum cuderet: *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, dæmon contra videns eis hunc fabrum arma subministraturum, removeere conatur: *Nequaquam moriemini, scit enim Deus, etc.* q. d. invidit vobis Deus tantum bonum, quantum prodidit vobis ex hoc ligno degustato. Deprehensi igitur miseri sine armis a dæmone victi, et in mortem corporis et animæ impulsus sunt. Quid igitur hic remediū? Quod Amlethus Daniæ et Jutiæ rex contra Britannos excogitavit, cum ei in prælio majorem copiarum partem occidissent. Amlethus enim die postero ad augendam multitudinis militum suorum speciem, cæsorum cadavera, partim subjectis stipitibus fulta, partim propinquis lapidibus affixa, alia viventium more equis imposita, in aciem digessit, ut ipsæ extinctorum imagines lacessentibus solis radiis immensi agminis speciem darent. Quo aspectu quasi novis copiis hosti adjunctis territi Britanni fugam dederunt, sicque a mortuis superati sunt, quos vivos opprresserant. Britannorum rex dum segnius fugam intendit, ab imminentibus Danis occisus fuit, Saxo. I. IV. Sic ergo nos quoque dæmonem, qui nequitia sua ad mortem nos impulit, eadem superabimus, si eam ipsam, quam ipsius astu incurrimus, mortem, quasi vivam et præsentem præ oculis statuamus, eaque velut milite armato contra ipsum pugnemus.

III. Valet contra venenum, in cibo aut potu propinatum. Numquid non venenum est intemperantia cibi et potus? Sane Cyrus cum apud avum Astyagem Persarum regem pincernam ageret, vinum gustare noluit, quod venenum subesse diceret. Causam rogatus, respondit, se nuper in convivio natalitio vidisse Astyagem una cum amicis poculis dementatum a Saca pincerna, utpote animo et corpore titubantem, Xenoph. Cyropæd. I. I. Huic igitur veneno remediū est cinis: quis enim mortem cogitans sibi imminentem, effundere se in voluptates queat? Hinc S. August. in Ps. LXX. stultius redarguit impios, qui cum perversis illis Isa. XXII. dicunt: *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Terruisti,*

*Inquit, non seduxisti. Cum enim dixisses: Manducemus et bibamus, adjunxisti: Cras enim moriemur. Audi contra a me: Imo jejunemus et oremus, cras enim moriemur.*

Hoc veneno multi dementati indulgent voluptatibus quasi perpetuo victuri: alii bellica virtute se jactant, et Hercules aut gigantes videri volunt: alii ex opibus aut honoribus intumescunt: alii aliis successibus elevati extra se et sanam mentem rapiuntur. Quod his remediū? Cinis utique qui ostendit eos brevi morituros et cæteris mortalibus similes futuros. Contingit sæpe, ut qui febre diuturna laborant, nulla medicorum aut pharmacorum ope restitui sanitati queant. Quare ad extremum mittuntur ad auram patriam, ut vel ibi, ubi nati sunt, ex cognata sibi aura recipiant sanitatem. Simili ratione contingit permultos febri superbæ adeo graviter laborare, ut modus non sit illos corrigendi ac sanandi. Quare nil melius, quam ut mittantur ad terram patriam, unde nati sunt, ad pulverem videlicet, e quo formati sunt, ut eundem contemplerentur velut matrem suam, in eum mox redituri. Ita S. Chrys. in Psal. CXVI. «Quemadmodum qui febre laborant, inquit, postquam febre liberati sunt, puro aere indigent, ita etiam, quos animi perturbationes ad insaniam adigunt, si ad monumentum accesserint, tamquam qui in prædium saluberrimum venerint, multas expellunt ægri tudines.» Ita Saul rex humiliatus Davidem, quem assumpserat in aulam, et ab omnibus æstimari viderat, per contemptum appellat *filium Isai*, quasi remittens eum ad originem suam pastoritiam. Sic remittit hodie Ecclesia unumquemque ad originem suam, terram, q. d. *Quid superbit terra et cinis?* Eccles. X. Hoc idem superbis optabat David, Ps. IX. *Constitu Domine legislatorem* (Hebr. *more*, id est, *doctorem*, vel ut vertit Hieronymus, *terrorem*, adeoque intelligit doctorem terribilem seu judicem) *super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.* Multi eoque efferuntur, ut videantur ignorare quod homines sint morituri, et aliis similes. Cinis iste doctor terribilis est, eos corripiens.

Potest ergo cinis iste sacer sic applicatus sanare homines adeoque etiam ex dementibus facere sapientes. Sit proinde quisvis iste medicina nobis acceptissima: sic collyrium, quod suasit S. Joannes episcopo Laodiceæ, qui seipsum ignorans dicebat: *Dives sum locupletatus et nullius egeo.* Cui Joannes: *Et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus. Collyrio inunge oculos tuos, ut videas,* Apoc. III. Medicina oculorum est collyrium, et quid magis illuminat oculos terrena cupiditate cæcos, quam mortis

cogitatio. *Quid enim superbis terra et cinis; quid ornas, cum te germinis, auro et argento oneras; nonne cinerem ornas; quid saginas, dum cupediis undique conquisitis carne tuam saturas, nonne cinerem saginas?* Ergo sacros cineres istos capitibus vestris inspergite, at pulsa cæcitate ac dementia ad sanam mentem respicite: *Memento te istud,* clamat Isaias, cap. XLVI. *et confundamini: redite prævaricatores ad cor.*

## CONCIO IV.

OMNES CHRISTIANOS EGERE CINERIS ASPERSIONE.

I. Egent reges et reginæ. — II. Egent prælati et superiores. — III. Egent divites. — IV. Egent pauperes. — V. Egent senes. — VI. Egent juvenes. — VII. Egent mulieres. — VIII. Egent cives.

THEMA.

*Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Gen. III.

Convocat hodie mater Ecclesia filios suos, ut eorum capita cinere conspergat. Sed quid est auditores, quod non omnes vocem matris audiant, et cineres accipiant? Numquid non vocantur omnes? Non Ecclesia ait: *Memento homo.* Si diceret: *Memento pauper, memento Petre, memento Paulæ, videretur sane non omnes, sed aliquos tantum vocare.* Verum ait: *Memento homo,* ergo omnes vocat, quia nimirum omnes isto cinere, seu mortis inculcatione indigere novit. Quod nunc ostendemus.

I. Cinere indigent reges et reginæ. Inter reges occurrit rex Ninivitarum, sedens in cinere, Jon. III. inter reginas Esther regina, quæ aspersit cinere caput, Esth. IV. Sed cur isti? Ut sciant se esse filios Adæ, adeoque mortales, ex eadem argilla factos, ex qua infimi; sciant se Dei gratia constitutos reges, uti et scribere solent, unde Tertullianus in apolog. *Inde est imperator, ait, unde et homo antequam imperator,* Lyran. in cap. XXXIV. Job, num. XV. scribit: *Antiquitus imperatore creato, statim quærebatur ab eo, ex quo marmore vellet sepulcrum habere,* quasi nihil sit regno vicinius, quam sepulcrum. Revocavit hoc in memoriam Theodosio imp. S. Ambrosius, quando post imperatam innocentem Thessalonicensium cædem, cupienti intrare templum extra Ecclesiæ vestibula obvians dixit: *Est verisimile, imperator, te ignorare cædis a te perpetratæ magnitudinem, neque post sedatam iracundiam providere ratione admissum facinus. Nam imperatorius fortasse principatus peccatum agnoscere*

non sinit, et potestas effundit rationi caliginem. Verum quæ sit natura nostra, et quam fragilis ac fluxa considerandum est, et in pulverem, ex quo orti sumus, et in quem sumus recasuri, acie mentis est intendenda, neque ipse splendore purpuræ deceptus, corporis purpura operi, imbecillitatem ignorare debet. » Ita Theodoretus, lib. V. eccl. hist. cap. XVII. « Apud Græcos, ait Petrus Damiani card. epistola XVII. ad Alexandrum Pp. lib. I. epist. hæc teneri consuetudo perhibetur, ut cum imperator quis in dignitate creatur, mox ut imperialibus fuerit infulus redimitus, coronæ simul ac sceptri gloria decoratus, cum denique procerum vallatur obsequiis, cum excipitur modulantibus psallentium choris, qui dum sibi præsto sit obvius, qui videlicet una manu vasculum plenum mortuorum ossibus ac pulveribus offerat, in alia stuppam lini subtiliter pexam ac pilis pensilibus molliter demolitam, cui protinus ignis adhibetur, et repente in ictu oculi flammæ subito vorante consumitur : ut in altero debeat considerare quod est, in altero valeat videre quod habet, » se videlicet esse mortalem, et regnum quod habet, esse transitorium.

II. Prælati et superiores. His enim dicitur Jer. XXV. *Ululate pastores et clamate, et aspergite vos cinere optimates gregis.* Indigent hi legislatores alio legislatore, qui eis imperet; hic autem est solus cinis, juxta id Psalm. IX. *Constitu Domine legislatorem super eos,* (Chald. *incute eis terrorem*) *ut sciant gentes, quoniam homines sunt.* Quia enim iudices vocantur in sacris litteris dii, hi sunt quasi dii quidam terrestres, hinc facile obliviscuntur se homines esse, putantque sibi omnia in omnes licere, ut impius imperator ille Caius Caligula sensit. Qui in alto periculose ambulat, ad terram, non ad cælum aspiciunt, ne cadant. In sublimi et periculoso statu ambulant magistratus, et qui in dignitate constituti. Cadunt, si insolescant, et superbiant; ad terram igitur, ad cinerem et sepulcrum oculos dejiciant ne corruant. Nauta, qui bene vult gubernare navim, in puppi stat, non in prora; ita qui recte et sine suo interitu cupit gubernare alios, non ad dignitatis suæ exordia gloriosa et speciosa, in quibus omnes ei blandiuntur et applaudunt: sed ad finem potius attendat; quomodo ad extremum reddet rationem de officio administrato, et qua ratione in morte ab omnibus deseretur, a quibus stipabatur. Statua illa Nabuchodonosoris habuit quidem aureum caput, argenteum pectus, æneum ventrem, fictiles tamen pedes, in quos cadens de monte lapis unus, sine manibus abscissus, totam evertit statuam. Ita licet magistratus habeant aureum caput gloriæ et dignitatis, ar-

genteum pectus scientiæ, æneum ventrem potestatis et jurisdictionis, habent tamen pedes luteos, eandem cum aliis hominibus naturæ fragilitatem et moriendi necessitatem, communiter etiam ex incognita causa, celerem nimis incurunt mortem, præterquam sperabant.

III. Divites, quales erant illi mercatores, Tyrum versus navigantes, de quibus Ezech. c. XXVII. *Superjacent pulverem capitibus suis, et cinere conspergentur.* Oleum incendiarium non nisi jactu pulveris extinguitur: sic cupiditas divitiarum non sopitur efficacius, quam mortis memoria. Hoc modo Constantinus Magnus avaritiam ejusdmodi e suis divitiis extinguere conatus est, designando virga spatium sepulcri ejus, ac dicendo: « Quousque tandem inexplebilem hanc avaritiam cumulamus? Omnes vite divitias et totius orbis opes si haberes, tamen plus hoc a me circumscripto Ioculo non possidebis, et si illud fortasse possederis? » Eusebius, in vita Constantini, lib. IV. cap. XXIX. et XXX.

IV. Pauperes e quorum numero Job jam omnibus rebus exultus, cap. XVI. ait: *Operui cinere carnem meam.* Ad quid? Primo, ad consolationem suam, quod cinis suis miseriis finem esset daturus. Ideo dies afflictionis suæ appellat *dies mercenarii*, cap. VII. et XIV. quia sicut mercenarius post unius diei laborem sperat mercedem, ita etiam pauperes aspiciendo cinerem, sciunt se mercenarios esse et post breves unius quasi diei labores et miseras mercedem accepturos: *Donec optata veniat sicut mercenarii dies ejus*, Job XIV. Cinis itaque sit consolatio eorum in miseriis, quia cinis est eorum finis.

Secundo, ut ostenderet se miseras et plagas suas non gravate ferre; quas addito cilicio et cinere sponte exasperaret, et quasi condimento magis acerbis redderet.

V. Senes, tales erant illi, de quibus dicitur Threnorum II. *Conticuerunt senes filia Sion, consperserunt cinere capita sua.* Ratio est, quia uti cinis calidus conservat ignem, ita frigidus extinguit. Latet autem in senibus adhuc, et servatus ignis quasi sub dolosis cineribus sepultus, non tamen sopitus: estque ebriositas et avaritia, ut testatur S. Augustinus, ser. CCXLVI. de temp. « An forte senectus, inquit, excepta est, et in carne jam vicina cadaveri sanguis ac membra illicite concupiscentiæ frigerunt, et a fesso ac prope mortuo jam corpore materies tentationis emarcuit? Ino vero tantus est in malis senibus plerumque gurgues aviditatis et insatiabilis vorago ventris et gutturis, ut quanta boni senes prudentia serenantur, tanta isti vinolentia sepeliantur, quasi ab hoc in eis arida viscera, et succo exhausta

curventur, ut ad vigorem pristinum reparandum ebrietatis mundatione riganda sint. Quid avaritia quæ radix est omnium malorum. Nonne in frigidis senibus tanto ad acquirendum ferventius inardescit, quanto citius relietura est, quod acquirit, mirabili sane dementia? Graviores enim jumptibus se onerare festinat, cum jam pervererit, quo tendebat. »

Quando igitur et in senibus reperitur adhuc ignis vorax, qui eorum animas pessimo incendio depascit: laborandum etiam ipsis, omni quo possunt conatu ut ignem hunc extinguant. Serviet eis ad hoc frigidus iste cinis, quem hodie Ecclesia inspergit filiis suis, si nimirum in hujus susceptione meminerint, quam cineri et sepulcro sint propinqui; ut verissime dicere possint cum illis, Sap. II. *Sermo scintilla ad commovendum cor nostrum*, (h. e. vita nostra est quasi una scintilla adhuc superstes) *qua extincta, erit cinis cor nostrum.*

VI. Juvenes, uti Daniel adolescens, qui ait, Dan. IX. *Posui faciem meam ad Dominum meum rogare et deprecari in jejuniis, sacco et cinere.* Quia et ipsi, quasi a morte longe remoti, mortem minime cogitant, interim tamen incaute sæpissime incurunt, cum minime expectarunt. In more habuit Socrates adducere ad speculum adolescentes, qui formæ suæ immemores indecorum quid egissent. Frequens est hoc in juvenibus, ut sui obliviscantur, suæque fragilitatis quasi aerei et immortales essent, quare Ecclesia hodie adducit eos in speculum, ut in cinere sibi imposito seipos contemplantur, unde venerint et quo vadant, « Omnis enim caro fenum (inquit S. Augustinus, serm. CCLVI. cit. ad juvenes habito) et claritas hominis ut flores fœni. Quid ergo facietis, cum fœnum aruerit? Flos deciderit? Verbum autem Domini, quod manet in æternum; cineres vestros non facile inventurum putetis, quod nunc superba ætatis viriditate contemnit. »

VII. Mulieres: viduæ, uti Judith, cap. IX. quæ: *Posuit cinerem super caput suum*: virgines, uti Thr. II. *Conspererunt cinere capita sua virgines Jerusalem.* Nihil frequentius mulieribus, quam in speculo se intueri. Ecce speculum sincerissimum, quod ita adamussim eas representat, quales revera sunt: cinis inquam et esca vermium. VI-

deant ergo quibusnam amasus sese acornent: vermibus nimirum, hi enim illas expectant in sepulcro non tam deosculandas quam devorandas.

VIII. Cives, uti Bethulienses, qui videntes contra se venire hostium multitudinem Juce Holoferne: (Judith. VII.) *Prostraverunt se coram Domino, mittentes cinerem super capita sua*, et hoc medio impetrarunt a Deo civitatis suæ salutem, hosti vero interitum. Venit subinde Deus cum exercitibus suis contra civitates ad puniendum illas, propter eorum peccata; uti Dominus indicat in parabola nuptiarum, ad quas vocati aliqui tenuerunt servos regis, et contumeliis affectos occiderunt: *Rex enim iratus, missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.* Regis exercitus dici possunt dæmonis incursus, contra hos optime nos armamus, prosternendo nos humiliter coram Deo, et cinerem mortis ac fragilitatis nostræ præ oculis habendo, nosque humiliando. Pulchrum hujus rei typum habemus in libro Josue, capit. XI. ubi Josue in terra Chanaan dicitur percussisse et incendisse omnes urbes, præter eas, quæ in collibus et tumulis sitæ erant, Hebr. *quæ stabant super tumulos suos*, Chald. *quæ stabant super fortitudine sua.* Tumuli sunt colliculi, sic dicti quasi *tumens tellus*, et indicant sepulera, quæ a tumore terræ etiam tumuli appellantur. Igitur si cives stent super tumulos et sepulera sua per mortis contemplationem, suæque humilitatis cognitionem, ac coram Deo se humiliant, stabunt super fortitudine sua, stabunt, inquam, salvi atque incolumes a dæmonum incursibus. *Itaque sic state in Domino charissimi*, ad Phil. IV. quomodo et propheta Habacuc, qui dixit, c. II. *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplanabor, ut videam quid dicatur mihi et quod respondeam ad arguentem me.* Custodia nostra sepulcrum est, specula nostra cinis est, munitione nostra tumulus est. In hac munitione stemus et figamus gradum, contemlemur, ut videamus quid dicatur nobis, dum a sacerdote dicitur: *Memento homo quia pulvis es, et in pulverem reverteris*; et quid post mortem responsuri simus arguenti nos severo judici? Sic stabimus invicti quasi in munitione firma.